

14245

PARTITIONUM
Theologicarum,

Disputatio XI.

DE
PECCATO
ACTUALI.

In illustri Academiâ VVitteber-
gensi proposita;

PRÆSIDÆ
M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

RESPONDENTE
JOHANNE CURTZMANNO
URATISLAVIENSE.



MAGDÆBURGI,
Excudebat Ioachimus Boëlius.
Sumtibus Clementis Bergeri Bibliopolæ
Witteberg: Anno 1611.

Theol.ev.dogm.
68m, 11



VIRIS

Magnifico, Antiquâ profapiâ nobis-
lissimo, magnâ autoritate amplissimo, exi-
miâ prudentiâ præcellentissimo, & primariâ
virtutum Pietate præstantissimo

D O M I N O

A D A M O Dobischus /

in Tilmeneaw/ n.

Vrbis & Ducatus Vratislavensis CAPITANEO:

Nec Non

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-
plissimis, eximijs, Consultissimis

Augustissimæ in eâdem Vrbe Reipub. CONSV-
LIBUS & SENATORIBUS CAETERIS
de Patriâ præclarè merentibus,

Dominis Mæcenatibus & Patronis meis singu-
lariter suscipiendis,

Observantiæ & debitæ gratitudinis ergò
Disputationem hanc Theologicam

Humillimè dedico & mitto

Sächsische JOHANNES CURTZMAN Resp.
Landesk. Bibliothek
Dresden

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885

Typus hujus Disputationis.

1. Quid sit: Vbi consideretur	1. Definitum:	
	2. Definitio.	
Internoru: quæ constituit ratio vel	Formalis: cuius respectu peccatum dividitur in	Commissionis: Omissionis.
Modalis: quando respectu intentionis & remissionis dividitur in	Gravius. Levius.	
2. Quomodo dividatur. Dividitur autem vel ratione attributorum	Quatenus, tali: Subiecto: vel estq; vel	Proprium: immediatè quodq; committitur, contra Deum. vel contra proximum. Alienum.
Externorum attributorum: quæ sumuntur vel à	Communne: dividiturq; peccatum	Dein Manifestum: de in Occultum.
b Eventu: Estq; peccatum vel	Proprium sive primarium: Internum: & dividitur peccatum in Externum.	
Mortale: quod est in persona vel	Quatenus illi accidit intentione: estq; peccatum vel	Voluntarium: Non-voluntarium.
Ethnicā: Per apostoliam in incredulitatē prolapsa: quæ vel	Resipiscens: Atq; ibi fit peccatum remissibile: Non resipiscens: huius peccatum est irremissibile: Estq; vel	Quodlibet ob finalem impoenitentiam: Peccatum in Spiritum S.

DISPUTATIO XI.
De Peccato Actuali.
CONTINVATIO.

Pecatum originale, per quod tota hominis natura vitiata & miserrime corrupta est, vidimus disputatione præcedente. Ordinis igitur nunc ratio postulat; ut vitiosæ hujus & corruptæ naturæ frumentum, quem caro adversus Legem DEI operatur, peccatumq; actuale dicitur, ultimo loco consideremus.

THESES.

1. Oewgia & contemplatio peccati actualis duabus absolvitur quæstionibus: Quid sit, & quotuplex sit.
2. Prior considerat partim definitum, partim definitionem ipfam.
3. **Nominis,** **Peccati** **actualis,** **considera-** **tio.** Definitum est PECCATUM ACTUALE. Quæquidem vox (actuale) non apud omnes in primitivâ Ecclesiâ fuit æquali in usu. Augustinus in Enchirid. cap. 44. & 50. Tom. 3. col. 167. D. & 169. D. vocat peccatum proprium: Et ibidem cap. 64. col. 174. C. activum, quando inquit: Excepto quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut, quod generatione attrahit, regeneratione detrahatur; & tamen activa quoque peccata, quæcumq; corde, ore, opere, commissa invenerit, tollit. Bernhardus id personale nominat; Primū quidem, in-

inquietus, originale, secundum personale dixerim. Serm.
Feriæ quartæ hebdomadæ poenosæ de Pass. Dom. in
Exempl: Parisiens. Colum. 141. A. Vocat tamen & i-
psum actuale Serm. 4. Super , Regina, Colum. 1773. I.
quando de C H R I S T O inquit: *Innocens fuisti ab origi-
nalibus & actualibus peccatis: Nemo ita præter te.*

4. Fundatur tamen nomen & vox hæc in factis li- Denomina-
teris: quod ex vocibus planè idem significantibus satis tio hæc
est manifestum. Nam I. habetur hæc phrasis: ἐργάζεσθαι fundatur
τὴν ἀνομίαν Matth. 7. v. 23. vel ἀμαρτίαν Ḥac. 2. v. 9. II. κα- in s. scri-
τεργάζεσθαι Rom. 7. v. 17. III. ποιεῖ τὴν ἀμαρτίαν Ḥob. 8. πτυρά.
v. 34, 44. I. Cor. 6. v. 18. Eph. 2. v. 3. I. Ḥob. 3. v. 4. IV. τὰ
ἔργα τῆς σαρκὸς, opera carnis, Ad Gal. 5. v. 9. Eph. 5. v. 11.
V. ἀπόλεξε τὸ παλαιὸν ἀνθρώπον, facta sive operationes
veteris hominis, ad Colos. 3. v. 11. VI. Opera mala,
I. Ḥob. 3. v. 12. ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρά ἦν: ταῦτα δὲ τὰ ἀδελφά
αυτοῦ δίκαια: *Quia opera ejus (Cain) mala erant: &c:*
VII. Opera infrugifera tenebrarum, Ephes. 5. v. 11. Rom.
13. v. 12.. VIII. Opera carnis, Gal. 5. v. 19.

5. Est autem peccatum actuale omne cogitatum, dictū, Peccatum
aut factum contra Legem D E I, ex depravata natura, tan- actuale
quam fructus ex arbore suā, proveniens. quid sit.

6. Genus in definitione hac, quia in definito conti- Genus..
netur, omissum est: Est autem Peccatum.

7. Differentia duplex exprimitur: altera sumitur Differen-
à formal ratione: altera à causâ efficiente. tia.

8. Formalis ratio duplex datur. Prior est interna. I. A forma-
Nempe, quod peccatum sit id, quod cogitetur contra, li ratione..
Legem D E I: Posterior est externa: nimis quod sit
id, quod vel verbo vel opere perficiatur contra normā justi-
tiæ divine.

9. Prior itaq; consistit in actione internâ, ideoq; tan- Quæ vel
tum à mente & voluntate hominis pendet. In mente actio inter-
A 3 enim na.

enim consistunt dubitationes de Deo: in voluntate & corde concupiscentia mala, ira, odium, invidia, securitas, perversitas, impatientia & similes affectus. Nam licet hi non incommodè ad peccatum originis referantur: sunt nihilominus actualia, quando nimis accedit deliberatio, consensus, πειραίσθισης, & oblectatio.

Vel exter-
na.

10. Posterior ratio formalis consistit in actione externa: Quocirca non tantum à mente & voluntate (licet & istae concurrant) verum etiam ab organis externis & ipsâ locomotivâ dependet: estq; quasi consummatio peccati, ut Jacobus loquitur.

11. A caus- 11. Ceterum causa immediata & proxima peccatorum sa efficien- actualium est peccatum originis seu depravata natura: te. Sunt enim fructus & opera carnis, de quibus loquitur & docet Apostolus Paulus ad Galat. 5: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: Adulterium, scortatio, immunditia, lascivia, simulacrorum cultus, veneficium, inimicitiae, lis, emulationes, cædes, ebrietates, commissationes, & his similia: de quibus prædico vobis, quemadmodum prædicti, qui talia agunt, regni DEI heredes non erunt. Et Rom. 7. v. 5. inquit: Cum essemus in carne; affectus peccatorum, qui sunt per legem, vigebant in membris nostris ad fructificandum morti. Ibid. v. 17: Nunc autem non ego perpetuo illud, sed inhabitans in me peccatum. Novi enim, quod non habitet in me, hoc est, in carne meâ, bonum: Nam velle adest mihi; at ut faciam bonum, non reperio. Non enim, quod volo, facio bonum: sed, quod non volo, malum, hoc ago. Porro si, quod non volo ego, hoc facio, non jam perpetuo illud, sed inhabitans in me peccatum. Et mox v. 23. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Ubi Apostolus originale peccatum vocat peccatum inhabitans & operans:

Actua-

Actuale verò omne malefactum, quod ex operatione illâ producitur.

12. Unde sequitur hoc πόρισμα, nempe, Peccata a- πόρισμα
ctualia non tantum in adultis; verum etiam in ipsis infantibus inveniri. Peccatum
est in in-
fantibus.

13. Peccatum enim originis ut nunquam otiosum est; ita subinde quoq; in infantibus actionum vitiosarum cùm internarum, tūm externarum causa existit. Hoc enim ipsum est, quod Jehova queritur Gen. 6. v. 5. Et 8. v. 21: Omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum esse omni tempore ab adolescentiā.

14. Proximam verò & internam causam actualium peccatorum, nempe vitiū originale quando ponimus, remotiorem, externam, irritatricem, & impellentem, ut & occasionem peccandi non excludimus, sed omnino includimus. Ut enim genus proximum non negat, sed presupponit potius genus remotū: ita quoq; causa proxima, remotiores, adiuvantes, impellentes & similes non excludit, sed includit & presupponit.

15. Diabolus igitur ut omnis mali prima est causa; Diabolus Ita quoq; in vitiosis hisce actionibus non otiosus, sed quoq; causa valde negotiosus est. peccato-

16. Is enim adversarius noster tanquam leo rugiens ob- ambulat, querens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8. Et qui committit peccatum, ex diabolo est, inquit Johannes 1. Epist. c. 3 v. 8. Eodem modo Apostolus Paulus ad Epb. 2. v. 2. testatur, quod peccatores ambulent juxta seculum mundi hujus, juxta principem, cui potestas est aeris, & Spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus. Et ibid. c. 6. v. 11. jubet induere universam armaturam DEI, ut possimus stare adversus insidias diaboli. Quoniam addit v. 12. non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia adver-

adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores te-
nebrarum seculi hujus, adversus spirituales malitias, quæ
sunt in sublimi. Et 2. Timoth. 2. v. 26. docet infideles à di-
abolo captivos teneri.

Occasio
peccandi. 17. Occasionem peccandi præbent & mala exempla
& scandalia 1. Cor. 15. v. 33: Corrumptunt bonos mores col-
loquia prava. Atq; hinc monet Apostolus 1. Cor. 10.
v. 32: Sine offendiculo estote. Item 2. Cor. 6. v. 3: Nemini
date ullum offendiculum. Et Rom. 14. v. 18. Hic adhibete
judicium, ut ne offendiculum ponatur fratri aut scandalum.

Deus pec-
cati actua-
lis caussa
non est. 18. Quia igitur corrupta hominis natura unà cum
Diabolo totalis peccatorum actualium cauſsa. Ergo
inter cauſas istorum Deus numerari nullo modo pot-
est.

19. Ut enim Deus nullius omnino peccati est cauſ-
ſa, ut demonstratum est disput. 9. ut etiam peccati origi-
nis vel autor vel approbator nullo modo dici potest;
ut in specie ostensum disput. 10.: Ita & actualium pecca-
torum effector nullo modo vel respectu censi debet.
Quandoquidem omnis homo mendax, Deus autem verax;
sicut scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis, & vin-
cas, cum judicaris, Rom. 3. v. 4. Item: Numquid in iustitia
est apud Deum? Absit; Rom. 9. v. 14. Item 1. Petr. 1. v. 15.
& 16: Sicut is, qui vos vocavit, sanctus est, ipsi quoq; san-
cti in omni conversatione reddamini. Propterea scriptum
est; Sancti estote, nam ego sanctus sum. Et Joh 1. Epist. c.
1. v. 5. testatur, Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse ul-
las. Et ibid. c. 3. v. 9. inquit: Quisquis natus est ex Deo,
peccatum non committit.

Deus per-
mittit im-
pœnitentes 20. Interim non negamus, Deum loco pœnae im-
pœnitentes subinde in graviora incidere peccata, per-
in graviora mittere.

incidere 21. Quando enim nullus pœnitentiæ conceditur lo-
cus,

cus, Deus, ut justus judex & vindex scelerum, gratiam suam subtrahit, Rom. i. quā subtractā, homo suis committitur cupiditatibus, & quia ex se nihil omnino boni agere quit, indies magis magisque in peccata ruit, peccataq; peccatis cumulat.

22. Quæ subtractio & desertio pœnæ loco est, iuxta illud Gregorii: *Peccatum, quod ex peccato oritur, non, jam peccatum tantummodo est, sed peccatum & pœna peccati.*

23. De pœnâ hâc loquitur Paulus; quando Act. 13. ex Habacuc minatur Judæis excæcationis pœnam: *Videte ergo, ne superveniat vobis, quid dictum est in Prophetis: Videte contemtores, & admiramini, & evanescite, quia opus operor ego in diebus nostris, quod non credetis, si quis enarraverit vobis.*

24. Idem facit Apostolus Paulus Act. 13: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Esaiam Prophetam: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum, enim est cor populi hujus, & auribus graviter audiverunt, & oculos suos compresserunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligent, & convertantur, ut sanem eos.*

25. Et alibi inquit idem Apostolus: *DEUS tradidit gentes cupiditatibus cordium suorum in impunitatem, ut ignominia afficerent corda sua inter se, Rom. i.v.24. Et mox v.28: Tradidit eos DEUS in mentem omnis judicij expertem, ut facerent, quem minimè conveniunt. Item 2. Thess. 2.v.10,11,12: Pro eo, quod dilectionem veritatis non receperint, in hoc, ut salvi fierent, mittit eis DEUS efficaciam erroris, ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acqueverunt in iniustia.*

B

26. Actio-

Actio DEI 26. Actionem verò D^EI & actionem peccatoris hīc
& *actio pec*catoris di-
stinguantur. accuratè distinguas, ne D^EU^M peccati autorem blasphemè constituas.

27. Deus enim hīc nihil agit aliud, quām quōd subtrahat suam gratiam. Quæ actio peccatum esse nequit: Quia justa est: aufert enim illam Deus à responde nte & pedibus quasi conculcante. Ergo tantum id, quod à peccatore perpetratur, peccati nomine & definitione veniet. Pertinet huc illud Augustini in Ps. 69:
Addit DEUS iniquitatem super iniquitatem, non vulnerando, sed non sanando: Sicut febrem aut morbum augemus, non morbum adhibendo, sed non succurrendo.

28. Quando verò cum peccatore eò perventum est, de illius conversione & salute actum esse videtur. Rectè enim Cassiod. in Psalm: Tantùm unusquisq; à divinitate repellitur, quantum ejus peccata cumulantur. Quantitas enim delicti, mensura est repudij, qui a tantùm à D E O reus longior redditur, quantum numero so crimine dilatatur. Et Ecclesia cum Luthero canit:

Ich fürcht fürswar die Göttlich Gnad,
Die Er allzeit verspottet hat,
Wird schwerlich ob ihm schweben.

Atq; hactenus questio quid sit peccatum actuale.

Divisio peccati a dualis. 29. Sequitur nunc secundum disputationis membrum, quo quæritur, quomodo peccatum actuale dividatur.

30. Dividitur autem partim ratione attributorum, internorum, partim attributorum externorum.

31. Interna attributa constituit & ratio formalis, & ratio modalis.

32. Secundum rationem formalem peccatum dividitur in commissionis & omissionis.

33. Tota enim formalis ratio omnium peccatorum actua-

actualium in eo consistit, quod vel committatur aliquid, quod lex prohibet; vel omittatur aliquid, quod lex mandat.

34. Quod autem peccato omissionis actionis quoque; Peccatum appellatio competit, ideoque; actuale peccatum dici omissionis queat; id facilè intelligitur, Si graduum rationem, recte dici quæ piâ vetustate observata est, in peccato consideretur peccatum mus, quorum in hoc plures, in alio pauciores: Videatur Lombard. l. 2. dist. 24. August. de Trinit. lib. 12. c. 2. actuale

35. Gradus autem hi sunt: 1. Prava suggestio: 2. Gradus delectatio, τὸ δελεᾶγεν: 3. Consensus: 4. Machinatio: peccatorum 5. Ipsa mala operatio. Quibus D D. Chemnitius ex Gre- actualium. gorio Magno & Isidoro addit: 6. Peccati consuetudinem: 7. Ex hoc excusationem: 8. Inde defensionem: 9. Ob- stinationem: 10. In his exultationem, Prov. 2. v. 14. Psal. 52. v. 3. Esa. 3. v. 9. Genes. 19. v. 9. 11. Reprobos sensus, Rom. 1. v. 28. 12. Tandem peccatum in Spiritum Sanctum.

36. Cum igitur pleraque; hæc actiones non tantum in commissionis, verum etiam in omissionis incident, tam hoc, quam illud pariter actuale appellandum censemus.

37. Peccata igitur commissionis sunt, quando mala, Peccata quæ à Deo in lege prohibita sunt, operamur. De pec- Commis- catis hisce loquuntur dicta, Psal. 6. v. 8. Discedite à me nis quæ. omnes, qui OPERAMINI iniquitatem. Ezechiel 16. v. 50. De Sodomæis: Fecerunt abominationem coram me: & abstuli eos, sicut vidisti &c.

38. Peccata omissionis sunt, quando officii nostri partes negligimus, aut bona facienda intermittimus. Huc omissionis pertinent hæc & similia dicta, Jac. 4. v. 17: Qui noverit que. recte facere, nec facit; hic peccato tenetur. Luc. 12. v. 47: Ille servus, qui novit voluntatē Domini sui, nec se comparavit, nec fecit ex voluntate ipsius, multis plagis cædetur &c.

39. Porrò ratione modi & gradus diversi, distinguitur peccatum in *gravius* & *levius*. Vocamus discrimen hoc modale: Nam quæ secundum magis & minus, sive secundum intensionem & remissionem distinguuntur, modis & gradibus distinguuntur, non formis vel specie.

Levius peccatum & gravius. 40. *Levius peccatum* est, quod respectu alterius minus reatui obnoxium; *Gravius* contra. *Luc. 10. v. 12, 14. & 12, v. 47.*

41. De levioribus peccatis tenendus est elegantissimus locus Augustini *de diversis Serm. 34. de vocatione Apost. Pauli Tom. 10. Col. 1646. B.C.* ubi inquit: *Sunt autem levia peccata & minuta, quæ devitari omnino non possunt, quæ quidem videntur minora, sed multitudine pre- munt. Nam & acervus frumenti minutissimis granis colligitur, & tamen onerantur inde naves. Et si amplius one- rentur, demerguntur, in flumen deiecit aliquem & occidit. Sed et si pluvia sit minima, minutissimis guttis tamen mul- tos interficit. Illud uno ictu perimit, illa ex multitudine ex- tinguit. Magnæ bestiæ uno morsu occidunt hominem: minu- ta autem, cum fuerint multæ congregatae, plerumq; interi- munt, & talem perniciem inferunt, ut pœnis hujusmodi gens superba Pharaonis judicari meruit. Sic ergo, quamvis minuta sunt ista peccata; tamen quia multa sunt, ut con- gregata acervum faciant, quo te premant, bonus est Deus, qui etiam ipsa dimittit, sine quibus non potest ista vita duci.*

Peccata non sunt æqua- 42. *Pœna: Non igitur omnia peccata sunt æqua- lia vel paria...*

43. Quod probo: I. Quia id scriptura manifestè testatur, *Ezech. 4. v. 5, 6. Item c. 5. v. 5. & seqq. & c. 16. v. 47. Matth. 10. v. 15. c. 11. v. 24. c. 23. v. 14. Luc. 10. v. 12, 14. c. 12. v. 47, 48. c. 20. v. 47. Job. 19. v. 11. 1. Timoth. 5. v. 8. 2. Pet. 2. v. 20, 21.*
II. Quia est pœna inæqualitas, quæ inæqualitatem delicti

Felicti in justo iudicio necessariò arguit. Matth. 5. v. 22.
Item 10. v. 15. III. Quia gravius est peccatum, quo im-
mediate Deus, quām quo homo offenditur. 1. Reg. 2. v.
25. Matth. 12. v. 32. Marc. 3. v. 29. Luc. 12. v. 10. 1. Joh. 5. v. 16.
Hebr. 6. v. 4. & 10. v. 26. IV. Quia gravius est peccatum,
quo in parentes, quām quo in proximum peccamus,
i. Cor. 5. v. 1, 2. V. Quia levius est, quando quis necessi-
tate coactus furatur, quām quando aliis saturandæ li-
bidinis ergò uxori proximi infert stuprum, Prov. 6. v. 10.
VI. Quia levius est concupiscere, quām consummare;
Matth. 5. Rom. 8. v. 13. Fac. 1. v. 15. VII. Quia gravius
peccat sciens, quām ignorans, Fac. 4. v. 17. VIII. Quia
gravius peccat ex pertinaci malitiâ, quām ex imbecil-
litate. IX. Quia in eodem delicto gravius peccat fide-
lis, quām infidelis. Luc. 12. v. 24. Hebr. 10. X. Quia gra-
vior est turpitudo operis, quām Sermonis.

44. *Externa peccatorum attributa sumuntur vel à sub- Externa
jecto, vel ab eventu. peccatorū*

45. *A subjecto quidem, vel quatenus tali, vel quate- attributa.
nus illi accedit intentio.*

46. *Illo respectu subjectum quando sumitur, vel est
commune, quod est totus homo: vel proprium, quod est
subjectum primum & principale.*

47. *Quatenus totum hominem sumis, Primum pec-
catum est vel proprium, vel alienum. Deinde est vel ma-
nifestum, vel occultum.*

48. *Peccatum proprium est, quod quilibet contra. Peccatum
Legem Dei prævaricando admittit, Num. 27. v. 3: de proprium.
Zelaphehado dicitur: Pater noster mortuus est in deser-
to, nec fuit in seditione, que concitata est contra Dominum,
sub Coreb, sed in PECCATO SUO mortuus est, Ezech.
18. v. 20. Anima, qua peccaverit, ipsa morietur. Rom. 2. v.
21: Qui alium doces, te ipsum non doces: Qui prædicas, non
furam-*

*Peccatum
proprium
duplex.*

*1. Contra
Deum.*

*2. Contra
proximum.*

*Peccatum
alienum.*

*Reddimur
alienis pec-
cipes.*

*furandum, furaris: Qui dicas; non mæchandum, mæcha-
ris: Qui abominaris Idola, sacrilegium facis: Qui in legem
gloriaris, per prævaricationem legis Deum in honoras.*

49. *Peccatum proprium est duplex: vel committitur
immediatè contra D E U M, vel immediatè contra prox-
imum.*

50. *Illud est, quod priore Decalogi tabulâ prohi-
betur: De quo loquuntur hæc & similia dicta: 1. Sam.
22. v. 25: Si peccaverit homo in hominem, judex judicare
poterit; Si autem homo peccaverit in Deum, quis orabit
pro eo? Esa. 3. v. 8: Ad inventiones eorum contra Deum &c:
Luc. 15. v. 21: Peccavi in cœlum, hoc est, adversus Deum
qui habitat in cœlis. Psal. 123. v. 1.*

51. *Peccatum, quod immediatè contra proximum
proximum. committitur, illud est, quod secundâ Decalogi tabu-
lâ prohibetur: Et de eo loquuntur sequentia dicta.
Levit. 5. v. 22: Si quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in qui-
bus solent peccare homines, nimis aduersus se mutuò &c.
1. Reg. 8. v. 31: Si peccaverit homo in proximum suum, &c.
Matth. 18. v. 15: Si peccaverit in te frater tuus, &c.*

52. *Alienum peccatum est, quod quidem ab alio per-
petratur, aliis tamen illius particeps redditur, adeò ut
iræ quoq; ac maledictionis non minùs hunc, quam
primarium autorem reum constituat. De peccato hoc
loquuntur sequentia dicta 2. Cor. 6. v. 14: Nolite jugum
ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio justitiae cum
iniquitate, &c. Eph. 5. v. 7: Nolite effici partipes eorum;
nempe infidelium. Ibid. v. 11: Nolite communicare operibus
infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite, 1. Tim.
5. v. 22: Manus citò nemini imposueris, nego communices
PECCATIS ALIENIS.*

53. *Reddimur verò alienis peccatis partipes duobus
modis: Commitendo & Omitendo.*

54. Com-

54. *Committendo* quidem, quando (ut loquitur Ha- 1 *Commis-
tenrefferus*) peccati alieni vel autores, vel coadjutores tendo.
sumus.

55. Contingit idipsum pluribus modis: I. Con-
sentiendo & approbando, Act.8. v.1: *Saulus erat con-
fentiens in necem Stephani*. Item Act.22. v.20. Rom.1. v.32.
II. Consulendo & suadendo: Talis pessimus consul-
tor fuit Achitophel, 2. Sam. 16.v.23: *Item 17. v.1. & 14.*
Item Bileamus, qui Moabitarum regi consilium de Is-
raël ad obscœna sacra invitandis suggererat. Nnm.
24. v.14. Num.25. v.2: *Item 31. v.16.* Item Caiphas Job. 11.
v.49. III. Subendo & mandando: quando nimis
ex mandatis superiorum aliquid mali perpetratur. Sic
Pharao per puerperas necabat infantes Hebræorum,
Exod.1. Sic Herodes mandato suo & decreto occidebat
bimulos & minores, Matth. 2: *Videatur etiam 2. Sam. 11.
v.15. ibid.12. v.9. 1. Reg. 21. v.10,12,19. Marc. 6. v.27.* IV. Ex-
cusando, defendendo & laudando, Esa.5. v.20. Ezech.13.
v.18. Syr.30. v.11. V. Quovis modo participando Psal.50.
v.18. Esa.1. v.23. Prov.29. v.24: *Qui participat cum fure,
odio habet animam suam, maledictionem audit & non an-
nunciat.* Ex quo vel desumtum est, vel consentit illud
Phocylidis: ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ
κλέψας.

56. Deinde *omittendo*, quando officium nostrum, 2. Omitte-
quo peccata debebant inhiberi & puniri, negligimus. do.

57. Contingit illud potissimum duobus modis: *in-
tempestivo silentio*; deinde *nimiâ lenitate & conniventia*.

58. *Intempestivum silentium* est, quando illi, quibus Intempesti-
officii ratione incumbit docere, monere, corriger, ubi *vum silen-
doctrinâ, admonitione, vel correctione opus est, ta-
cent & connivent*, Levit.5. v.1. Prov.29. v.24. Esa.56. v.10.
58. v.1. Tren.2. v.14. Ezech.3. v.17. & 33. v.7,8.

59. Ni-

Nimia le-
nitas &
conniven-
tia.

59. *Nimia lenitas & conniventia est, quando id, quod à autoritate nostrā & officio emendari & vindicari debat, dimititur impunitum. Nimia igitur hæc lenitas ut plurimū spectat magistratus, parentes, & præceptores, qui munus suum negligenter exequuntur,* 1. Sam. 3. v. 13. c. 4. v. 18. 1. Reg. 1. v. 6. 1. Reg. 20. v. 42. Jerem. 48. v. 10. Rom. 13. v. 4.

Peccatum
manife-
stum.

60. *Porrò peccatum manifestum dicimus, quod eo inest peccatori modo, ut simul incurrat in oculos vel sensus aliorum, ita ut de eo publica fiat fama.*

Peccatum
occultum.

61. *Peccatum occultum dicimus, quod clanculum ab hominibus perpetratur, & summo studio tegitur. De peccato hoc loquitur Zophar. Job. 20. v. 11: Offa ejus implebuntur vitijs occultis ejus. Videatur Job. 31. v. 33. Eph. 5. v. 12. Paulus 1. Timoth. 5. uno versu, nempe 24. tam occulta, quam manifesta coniungit, quando inquit: Quorundam hominum peccata antè manifesta sunt, precedentia ad judicium: quosdam verò & subsequuntur. Videatur Ambros. super hunc locum Tom. 5. pag. 408.*

62. *Cæterū quatenus subiecto, in quo hæret peccatum, accidit intentio, dividitur illud in voluntarium & Non-voluntarium.*

63. *Augustinus in lib. 83. quest. c. 26. Tom. 4. Col. 538. hanc distinctionem aliis exprimit verbis; nempe dicit; alia peccata esse malitiæ, alia imperitiæ, alia infirmitatis.*

64. *Quæ itaq; nobis dicuntur voluntaria, Augustino dicuntur malitiæ peccata: quæ nobis Non-voluntaria, Augustino sunt imperitiæ & infirmitatis.*

Non-volun-
taria pec-
cata dan-
tur.

65. *Esse autem quedam peccata & rectè diciea Non-voluntaria, hoc est, non omnia voluntatis assensum & deliberatum consilium requirere contra Pontificios seqq. probamus fundamentis: I. Quia sæpius peccata*

cx

ex ignorantia perpetrantur, ut probabitur thesi 70: ubi autem ignorantia est, ibi non potest esse verus voluntatis assensus. II. Quia pii saepius agunt, quod non volunt, quemadmodum de seipso testatur Paulus Rom. 7. Quod autem non volumus, id praeter & contra voluntatem fit. III. Quia pii saepius peccant sine intelligentia. Ergo etiam sine voluntate: quia nihil possumus velle, nisi sciamus, quod velimus. Antecedens est manifestum ex Psalm. 19. v. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me.*

66. *Voluntaria* itaq; peccata sunt, quæ in negligētē, *Volunta-*
ratione & conscientiā vel maximè reclamante, *perpe-*
trantur. De peccato hoc loquuntur hæc & similia scrip-
turæ dicta Num. 15. v. 30: *Anima, quæ per superbiam ali-*
quid commiserit, peribit de populo suo. Hebr. 10. v. 27: *Vo-*
luntariè peccantibus nobis jam non relinquitur pro peccatis
bostia. &c.

67. Peccata *Non-voluntaria* sunt, quæ vel ignorantia, Peccata
vel certè imbecillitate quadam perpetrantur. *Non vo-*

68. Sunt igitur peccata hæc duplia: alia sunt *im-*
peritiae seu *ignorantiae* alia *infirmitatis.* *luntaria*
que?
Sunt du-

69. Tenendum autem, quod ignorantia sit duplex: *plicia.*
alia enim est *άγνοια βλάπτη*, quæ est affectata ignoran- *Ignorantia*
tia (2. Pet. 3. v. 5.) & nullam admittit exceptionem. *Vi-duplex,*
deatur Justin. Martyr. quxst. 140. fol. 256. N. 377. Quia igi-
tur voluntaria est, huc non pertinet: Sed peccata, quæ
ex illâ fluunt, ad voluntaria referenda sunt: Alia est
άγνοια ἀκέστη, quæ est simplex & non-voluntaria.
Videatur Justin. Martyr. Resp. ad Orthod. quest. 108. fol. 280.
N. 358. Peccata igitur, quæ ex hac fluunt, huius sunt
loci.

Peccata i- 70. *De peccatis hisce per ignorantiam commissis, loqui-
gnorantiae.* scriptura Num. 15. v. 22. & seqq. & 1. Timoth. 1. v. 13.
De se inquit Apostolus: *Qui prius eram blasphemus &
persecutor & violentus: Sed misericordiam adeptus sum,
quod ignorans fecerim per incredulitatem.* Videatur eti-
am Psalm. 19. v. 13, 14. Psalm. 90. v. 8. &c.

Peccata in- 71. *Peccata infirmitatis sunt, lapsus piorum, de qui-
firmitatis.* bus dicitur, quod justus de die septies cadat. Item Apo-
stolus ad Galat. 6. v. 1. hortatur ad charitatem erga hoc
modo delinquentes, inquiens: *Fratres, & si preoccu-
patus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui Spirituales e-
stis, instaurate hujusmodi Spiritu mansuetudinis.*

Divisio ab 72. *Ab eventu peccata dividuntur in venialia & mor-
talia.*

Omnia pec- 73. *Circa quam divisionem initio tenendum venit,
cara sui* quod omnia peccata, etiam minima & ipsa venialia
*naturâ sunt suâ naturâ & perse considerata sint mortalia iuxta il-
mortalia.* Iud Rom. 5. v. 23: *Stipendium peccati mors est: & omne
peccatum maledictione subest,* Deut. 27. v. 36. Gal. 3. v. 10.
*Nec non quicquid lex mandat, ejus ne iota sine maledictio-
ne immutare potest,* Deut. 5. v. 32.

74. Non igitur, recte dictante Luthero, peccata-
penes substantiam facti, seu iuxta differentiam pec-
catorum admissorum, sed penes personam seu pro-
pter differentiam peccatorum admittentium, in ve-
nialia & mortalia distinguuntur, idque ex Joh. 3.
vers. 36.

**Venialia
peccata
quaे** 75. *Venialia* igitur peccata sunt adhaerentes imbe-
cillitates humanæ, quæ agnitæ ac repressæ cum fide
sub-

subsistunt. Suntq; aut cogitationes & affectus, aut i-
gnorantia non affectata, aut actio non malitiosa.

76. *Venialia ergo dicuntur à venia, non quidem, ut vnde di-
patet, quia per se & suā naturā sint veniā digna; verū cantur.
quòd sint venialia per CHRISTUM, nempe, ignoscantur
propter impetratam remissionem; Num. 15. v. 28:
Sacerdos animam illam reconciliabit, impetrabitq; ei VENIA M.
Psalm. 31. v. 1. Beati, quorum remissa sunt iniqui-
tates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non
imputavit Dominus peccatum, &c.*

77. Dicuntur etiam peccata hæc *Non-regnantia*. Non-re-
Nam licet peccata hæc sint in regeneratis, iuxta illud: gnantia.
*Justus de die septies cadit; pravis concupiscentiis &
affectibus carnis, quantum in hac imbecillitate fieri
potest, Spiritus Sancti gratiā resistunt.*

78. De peccatis hisce, quatenus *Non-regnantia*
dicuntur, passim loquitur Apostolus Paulus Roman.
6. vers. 12: *Non REGNET in mortali vestro corpore, ut obe-
diatis ei in concupiscentijs suis;* Roman. 8. vers. 14. *Si
Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Gal. 5. v. 24.
*Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum affecti-
bus & concupiscentijs.*

79. Dicuntur etiam eodem sensu *Non-dominan-* Non domi-
tia Genes. 4. vers. 7: *Peccatum cubat in foribus: S U B nantia.*
te sit appetitus ejus, & tu DOMINER I S ei. Psalm. 119.
vers. 133: *Gressus meos dirige in verbo tuo, & ne domine-
tur mihi ulla iniquitas.* Roman. 7. vers. 14: *Peccatum
vobis non dominabitur.*

80. Justinus Martyr in Resp. ad Orthod. quest. 141. συγγνωμήν ἀμαρτίαν vocat peccatum veniale.

Peccatorū
venialium
subjectum.

81. Ex quibus omnibus intelligitur, *subjectum* hominum peccatorum non esse omnes homines sed tantum renatos, qui recta & remissa habent peccata, id est q; Deus per fidem reconciliati affectibus carnis resistunt, ne contra conscientiam labantur.

Peccatum
mortale
duplici
modo di-
citur.

1.

2.

82. *Peccatum mortale* ita dicitur, ut quodammodo intelligitur ex thesi 73. dupli respectu; *Primo* absolute in se & suā naturā, atq; eo modo omnia peccata sunt mortalia, hoc est, reddunt hominem morti & damnationi obnoxium: Uti probant id dicta ibi allegata. *Deinde* peccatum dicitur mortale respectu conditionis personæ, cui inhæret: quatenus ne ipse homo non habet recta peccata, sed à Deo aversus non tantum peccatis non resistit, verum potius peccandi quasi artem exercet: quo sensu etiam peccatum regnans dicitur, quia imperium in hominem obtinet, quatenus nempe homo assentiendo sese ei submittit, & cius fit servus. Huc pertinet illud Apostoli Rom. 6: *An escitis, cui suffit vos ipsos servos ad obediendum, ejus servis estis, cui obeditis, vel peccati ad mortem, vel obedientiae ad justitiam.*

Mortale:
veniali-
quomodo
oppone-

83. Atque hoc respectu in divisione hac peccatum mortale veniale opponitur: & est omne illud, quod per fidem in Christum non est remissum rectum. *Veniale* vero (ut constat ex præcedentibus) *quod rectum* est, juxta illud Rom. 8: *Nulla nunc condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu.* Et Psalm. 32: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates.*

Mortale:
ecc. atum:
uid.

84. Peccatum igitur mortale est, quod simulcum fidē non subsistit. Quocirca excussa fide nisi poenitentiā adi-

ad frugem redeat, morti, hoc est, damnationi addicit.
Catalogum horum peccatorum pertexit Paulus Rom.
ii.v.28. & seqq. 1.Cor.5. v.6,11,12. 1. Cor.6.v.9,10. Gal.5. v.19.
& seqq. Eph.5.v.3. & seqq. Coloss.3. v.5. 1.Timoth.8. v.9,10.
2.Timoth.3. v.34. Rom.8.

85. *Subiectum huius peccati esse possunt omnes homines: Quandoquidem utrobiq; locum habet, cum in huius peccatorum mundum renatis sive ethnicis, tum etiam cati. In ipsis renatis, qui per apostasiam in incredulitatem prolabuntur.*

86. *In hominibus non renatis mortalia dicuntur o. r. Non remnia peccata, etiam levissima, nempe quæ singula nati mortem æternam merentur. Qui enim talia agunt, digni sunt morte, Rom. i. v. 32. Et quicquid non est ex fide, peccatum est; Rom. 14. Item: Sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. ii. v. 6. Et infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum mens & conscientia; ad Tit. i. v. 15; & Joh. 3. v. 36. expressè dicitur: Qui non credit in filium, Non. VIDE B.R. VITAM; sed ira Dei manet super eum, &c.*

87. *Deinde renati, quando assentiuntur errori, in 2.Renati: fundamentū doctrinæ impingenti, vel grave aliquod contra conscientiam admittunt flagitium, peccatum quoq; mortale perpetratte revera dicuntur: Et vocatur peccatum hoc, peccatum contra conscientiam. Quod non idem est cum peccato in Spiritum Sanctum: sed latius patet: quandoquidem omne peccatum in Spiritum Sanctum est peccatum contra conscientiam: verum non contraria, omne peccatum contra conscientiam est peccatum in Spiritum Sanctum: alioquin &*

C 3.

David

David & Petrus, & quicunq; aliquid contra conscientiam peccârunt, in Spiritum Sanctum peccassent.

88. Quod autem renati quoq; interdum huiusmodi peccatis inficiantur, colligitur inde, quod ad renatos Apostolus Paulus scribat: *Qui talia faciunt, digni sunt morte*, Rom. 7. v. 5. Rom. 8. v. 13. Item Jacob. 1. v. 15. Johannes quoq; 1. Epist. 5. v. 16. Deinde, quod adhuc manus est, excutiunt Spiritum Sanctum, fidemq; cum bonâ conscientiâ exterminant, 2. Corinth. 13. vers. 5. 1. Timoth. 6. vers. 10. 2. Timoth. 2. vers. 18. 1. Timoth. 1. vers. 19. 1. Timoth. 5. v. 8. 1. Jovan. 3. vers. 6. 1. Cor. 3. v. 16, 17. & cap. 6. v. 15. 2. Cor. 6. v. 16. 1. Cor. 5. v. 2.

3. Electi
ipsi.

89. Imò peccata hæc mortalia in ipsis electos cadunt. Quandoquidem singulis hominibus verè mortalia sunt, neque absolutâ prædestinatione, ut quidem nonnulli statuere videntur, sed verâ pœnitentiâ fiunt venialia.

Probatur: 90. Quod probo: Primum *Inductione*; deinde *Syllo-*
1. Inductio-
logismo. *Inductio* hæc est: Primum Adam fuit præde-

stinatus & postea salvatus: Nam inter hæreticos nu-

meratus est Tatianus, qui Adamum salvatum inficia-

batur. Iren. lib. 1. c. 31. Epiphani. hæref. 46. Augustin. de hæ-

ref. c. 25: Qui tamen mortale peccatum commisit, Gen.

1. Rom. 5.

Aaron.

91. Deinde Aaron erat electus & salvatus: nihilo-

minus peccatum mortale committebat, consentiendo

in fusuram vituli aurei, Exod. 32. v. 2, 4, 31.

Israelitæ.

92. Tertiò: Israelitæ erant populus Dei, erant ni-

hilominus ingrati: quemadmodum illis ingratitudi-

nis peccata obiiciuntur, Ezech. 20. vers. 8, 13, 21, 30. &c.

dein-

deinde juraverant per Idola, Amos. 8. vers. 14. Sir. 23.
vers. 15.

93. Quartò: David fuit electus & prædestinatus, David.
1. Reg. 18. vers. 13. Psalm. 89. vers. 21, 29. Esai. 11. vers. 1. A-
Etior. 13. vers. 22: & postea salvatus Luc. 13. vers. 28. Ubi
omnes Prophetæ dicuntur salvati. Atqui & David Pro-
pheta fuit. Ecclesiast. 47. vers. 7, 13. Verùm commisit is
adulterium 2. Reg. 11. vers. 4. & homicidium, ibid. v. 18.
Quæ certè sunt peccata mortalia, nec cum fide subsi-
stunt, ut testatur Apostolus Roman. 8. Ephef. 5. vers. 3, 19.
Psalm. 51.

94. Quintò: Petrum prædestinatum & salvatum Petrus.
esse, quis negabit, vel dubitat? At hic CHRISTUM
abnegavit, & quidem ter, Matth. 26. vers. 69, 72. Luc. 22.
vers. 55. Iohann. 18. vers. 25. Verùm abnegatio talis est
peccatum mortale, nec potest cum fide subsistere, id
quod patet ex contrario, Roman. 10. vers. 9. Matth. 10.
vers. 3, 33. Luc. 12. vers. 8. 2. Timoth. 1. vers. 8. Et ex loco E-
zechielis cap. 18. vers. 24. & 26.

95. Ex quâ inductione quid manifestius, quâm
peccata mortalia non censenda esse venialia ratione e-
lectionis sive prædestinationis? Qui enim talia
committunt, afferente Apostolo, regnum Dei non
possidebunt.

96. Syllogismis & rationibus ita pugnamus: I. 2. Syllogis-
mis.
Quod peccatum pœnitentiâ fit veniale, id ante pœ-
nitentiam fuit mortale: At peccatum contra con-
scientiam etiam in renatis & electis pœnitentiâ fit
veniale. Ergo ante pœnitentiam fuit mortale. Et
per consequens, abnegatio PETRI, adulterium &
homicidium DAVIDIS ante actam pœnitentiam
non.

non fuerunt peccata venialia, sed mortalia; pœnitentiâ verò venialia facta.

97. Major certa est. Minor probatur: quia sine verâ pœnitentiâ non fit peccatorum remissio; cum pœnitentia sit ipsa veniae peccatorum impetratio: quod nihil est aliud, quam ex mortalibus in venialium sortem relatio. *Videatur loca Jerem. 5. v. 5. Apoc. 2. v. 16. Et 9. v. 20. Et 16. v. 12.*

2. 98. Alterum Syllogismum ex oppositis ita formamus: Justus ambulat in præceptis Domini, eiusq; iudicia custodit, ut faciat veritatem, Ezech. 18. v. 19. Sed iusti, quando abnegant veritatem, ut Petrus, homicidium & adulterium committunt, ut David, non ambulant in præceptis Domini, neq; faciunt veritatem: Ergo iusti, quando abnegat veritatem, homicidium & adulterium committunt, ut Petrus & David, non sunt iusti.

3. 99. Tertiò. In quos tantùm cadunt peccata venialia, illi non opus habent pœnitentiâ: habent enim per se remissa peccata: At renati & electi opus habent pœnitentiâ &c: Ergo in illos non tantùm cadunt peccata venialia, sed & mortalia.

4. 100. Quartò: Quicunq; semper iusti permanent, illis pœnitentia est supervacanea: Ratio; Justo enim lex polita non est: At ex sententiâ nonnullorum renati & electi semper permanent iusti: Ergo renatis & electis pœnitentia est supervacanea. Absurdum: Reclamate enim tota scriptura.

5. 101. Quintò: Ad quos instituuntur adhortationes de vitandis peccatis contra conscientiam, illi in eiusmodi

modi peccata incidere possunt: Atqui ad renatos & electos tales adhortationes instituuntur. Ergo. Minor probatur Rom. 6, 7, 8. i. Cor. 5. & 6. i. Petr. 1. &c.

102. Sextò. Idem colligitur ex hisce & similibus dictis. Ezech. 33. v.12. Tu autem, fili hominis, dic ad filios populi tui: Justitia justi non eruet eum die, quo prævaricatus fuerit. Et ibid. v. 13: Quum ergo dixero justo; vivendo vives: & consesus justitiae suæ fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus non memorabuntur; sed propter iniquitatē suā, quam fecit, morietur. Sic Rom. 8: Si secundūm carnem vixeritis, moriemini. 2. Petr. 2. A quo quis superatus est, huic etiam in servitutem adductus, &c.

103. Conclusum itaq; esto; In renatos & electos verè mortalia peccata incidere. Quod quidem alii ob suum, nescio quale, ἀμελαμέλητον & absolutum prædestinationis decretum pernegant.

104. Porro homo ita per apostasiam in incredulitatem prolapsus, aut est resipiscens: aut non resipiscens.

105. Resipiscentis personæ peccata sunt remissibilia: Peccata Quandoquidem ob actam pœnitentiam veniam con- remissibili- sequuntur. Pertinet huc dicta Scripturæ. Pauli ad Ro- lia. man. 5: Gratia exuberat supra peccatum. Ezech. 33: Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Ad quem locum Tertull. in libro de pœnit. sic annotavit: Vivo dicens, cu- pit sibi credit. O beatos nos, quorum causā Deus jurat: o mi- ferrimos nos, si nō juranti Domino credimus. Matt. ii. Veni- te ad me omnes. Et Marc. 9: Credenti omnia sunt possibilia.

106. Non resipiscentis personæ peccata sunt irremissibilia, nempe æternam damnationem inferentia.

107. Irremissibile peccatum, vel est quodlibet, ob finalem impœnitentiam, vel est peccatum in Spiritum Sanctum.

108. De illo intelligi potest oratio illa tristissima, quā i. Ob fina- Deus Prophetæ Esaiæ mandat. Esa. 6. inquiens: Vade, lem impœ- & dic populo isti, audiendo audite, & ne intelligatis, viden- nitentiam.

*do videte, & ne cognoscatis, ex ea cor populi hujus, & aures
aggravata. Hanc enim luctuosissimam sententiam testa-
tur Christus impleri, dum multis frustra prædicatur
verbum Dei, Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.*

**2. Peccatum
in Spiritu
S.**
**Cur ita di-
catur.**

109. *Peccatum in Spiritum Sanctum est agnitione veritatis
voluntaria, pertinax, & malitiosa impugnatio.*
110. *Ubi circa definitum tenendum, quod non dicatur
peccatum in Spiritum S. duntaxat respectu tertiae
personæ divinitatis, vel essentiæ Spiritus S.: Quando-
quidem nullum omnino peccatum committi quit ad-
versus Spiritum S. quin eodem etiam offendatur Pater
& Filius: Et contra nihil peccatur contra Patrem &
Filium, quo non simul laedatur Spiritus S. Accepit igitur
denominationem hanc ratione & respectu peculia-
ris effectus seu operationis, quæ Spiritus S. singulariter
tribuitur; quod homines regeneret, & de veritate do-
ctrinæ cœlestis intrinsecus in cordibus hominum teste-
tur. Hoc igitur peccatum committentes, ipsius Spiritus S. testimonio interno, quo in conscientia sua de
veritate convicti sunt, scientes & volentes pertinaciter
resistunt; *Acto. 7. v. 51.**

**Vocatur
Peccatum
ad mortem.** 111. *Johannes κατ' Ἡλοχήν vocat peccatum ad mortem,,
pro quo non sit orandum, i. Joh. 5. v. 16. Augustinus vo-
cat eternum, inexpiable, insolubile, IRREMISSIBILE pec-
catum: idq; autoritate Christi, qui Matt. 12. v. 31. inquit:
Omnē peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spir-
itus autem blasphemia non remittetur. Et quicunq; dixerit
verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autē dixerit
contra Spiritum S. non remittetur ei neg, in hoc seculo neg, in
futuro: vel, ut Marci cap. 3. v. 29. phrasis haec explicatur,
non habebit remissionē in eternū, sed reus erit eterni judicij.*

**Est irre-
missibile:
Quomodo.** 112. *Hoc vero nomen non inde sortitum est, quod suā
naturā aut magnitudine sit irremissibile, aut nullo mo-
do remitti possit. Minime gentium: Quandoquidem*

Chri-

Christus propitiatio factus est pro Totius mundi delictis; sed quod sacrificium aut medium, iuxta Epistolam ad Hebr. c. 10. v. 26. non extet, praterquam hoc unicum, quod Deus nobis in Christo monstravit. Act. 4. v. 12. Esa. 45. v. 23. Quia igitur blasphemati illi scientes volentes id al permanant, finaliterque recipere nolunt; quid aliud restare potest. quam ut in peccatis suis perpetuo pereant? Job. 3. v. 36. Voluntate enim peccantibus post acceperam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia, Hebr. 10. v. 26.

113. In definitione dicitur, quod sit *agnit e veritatis voluntaria & pertinax negatio*. Quo distinguitur a simplici blasphemia, quae quis ex ignorantia veritatem cœlestem persequitur, eandem, si modo cognovisset, totis animis veneficatur. Eiusmodi blasphemus & persecutor gravissime ^{187.} quidem peccat: non tamen in Spiritum Sanctum blasphemus esse dicitur, cum ministerio verbi sciens & volens nunquam se se opponeret. Talem se fuisse Paulus ipse fateatur. *1. Timoth. 1. v. 13: Qui blasphemus fui & persecutor & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

114. De grandi vero hoc delicto, si forsan in hac vita ^{Quomodo} dicari potest; id tamen fieri nequit, nisi peccatore vita de- ^{de eo sit} functo, iuxta illud August. Epist. 50. Tom. 2. Col. 229. *Hoc iudican- tam grande peccatum non probatur ab aliquo commissum, nisi dum cum de corpore exierit.*

115. Estenim peccatum hoc cum finali induratione coniunctum, ut testatur iterum Augustinus ibid. inquiens: *Peccatum in Spiritum Sanctum est duritia cordis usq; ad finem hujus vitae, quæ homo recusat in unitate corporis Christi, quod vivificat Spiritus Sanctus, remissionem accipere peccatorū. Et lib. de verâ pœnit. Tom. 4. Col. 1028. ait: Soli peccant in Spiritum Sanctum, qui impænitentes existunt usq; ad mortem.*

116. Tandem errores hic vitandi sunt. Primus. Stoico- ^{I.} rum & Jovinianistarum, qui omnia peccata paria esse

- Datum
- contendebant. *August.lib.Epistol.Epist.29.tom.2.pag.112.c.* *lib contra mendacium ad Consentium cap.15.tom.4.pag.49.B.li.de bæresib.ad Quodvultdeum tom.6.pag.30.C.*
2. 117. Secundus etiam Jovinianistarum est, hominem baptismate regeneratum peccare non posse, *August. ibid.*
 3. 118. Tertius Carpocratianorum est furor, qui docebant, peccata omnia facienda, si cœlum velis ascendere. *Vide August.lib.de bæresib.ad Quodvultdeum tom.6.pag.14.bæresib.7.*
 4. 119. Quartus Manichæorum, qui peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis adversæ: quam dogmatizantes esse hominibus mixtam, omnem carnem non Deo, sed malæ mentis prohibent esse officium, quam à contrario principio Deo coæternum esse aiunt. Verba sunt *Augustini loco jam allegato, bæresib.46.pag.246.B.*
 5. 120. Quintus Novatianorum est, qui renatis in mortalia peccata prolapsis pœnitentiæ viam præcidunt.
 6. 121. Sextus error Calvinianorum est, qui, 1. negant, peccatum mortale renatis inesse posse. 2 Docent peccata mortalia in renatis saltem ante conversionem dari. 3 Iterum negant, peccata contra conscientiam fidé exutere.
 7. 122. Septimus error Sacrificiorum est, qui 1. cogitationes & concupiscentiam peccatorum numero eximunt. 2. Peccata venialia non personæ renatæ ratione & respectu, sed ex suâ naturâ talia tamieiunè, quam impiè statuunt. 3. Splendidè mentiuntur, quando ex eo, quod renatorum opera imperfectionis arguimus, nobis hoc παράδοξον assunt, ac si instorum opera coram Deo mortalia peccata iudicaremus. 4. Prætoriâ autoritate crocitant, peccatum non esse nisi voluntarium.
 8. 123. Octavus errore est de peccato in Spiritum Sanctum, de quo videatur *Augustinus libro Expositionis Epistole ad Romanos inchoatae Tom.4.Col.1184.*

F I N I S.

Theol: ev. Dogm. 68, II